

ILLVSTRISSIMO VIRO DOMINO

D. IACOBO POERIER

EQVITI TORQVATO,

D. D'ANFREVILLE, CASTELLANO DE CYSAY, &c.

CHRISTIANISSIMO REGI AB VTRISQVE CONSILIIS,

NECNON IN SVPREMO NEVSTRIÆ SENATV

PRÆSIDI INTEGERRIMO.

VT te ad huius nostræ dissertationis tutelam inuitare, id est ex iudice patronum facere auderem, PRÆSES ILLVSTRISSIME, *tua illa compulit humanitas, quæ nulli hactenus imploranti defuit. Non enim clarissimo auitæ nobilitatis splendore tenuioris sortis hominum oculos auerti, sed allici; nec summam eximiæ dignitatis magnitudinem tibi pompæ, alijs terrori, sed omnibus præsidio esse oportere cogitas. Non aliter amplissimis opibus vteris, ac tui maiores, nempe vt exercendæ virtutis instrumento: ratus videlicet nihil esse magnificentius, quàm prodesse quamplurimis. Hinc illud è vulgo encomium non vulgare, quod a[illegible] innocentiæ, quod eorum, qui omni præsidio carent, tutissimum Asylum diceris. Nihil dicam de ingenti doctrina, quæ præstantissimas corporis & animi dotes, quæ excellentissima fortunæ ornamenta tantoperè illustrat; nihil de admirabili facundia, qua cùm omnes vincas, neminem tibi non deuincis. Nihil de incredibili sapientia, qua reliquos velut vmbras volitantes circa terram relinquens, instar aquilæ tuæ ferris in cælum, & solem ipsum rectà intueris. Ita vt de te illud rectiùs quàm de Scipione Cato dixerit,* οἶος πέπνυται, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσιν. *Vnde non mirum quod Sapientissimus Galliarum Rex te à Sanctioribus consilijs esse, & quod varum, annuam pensionem quotidianis laboribus pro regni securitate susceptis addicere voluerit. Quid autem ego illa commemorem, quæ toti Galliæ sunt notiora quàm mihi? egone ex hac vmbra tantum lumen, è cælo tam sublimi, luce tam clara, orbi nostro præfulgens ostenderem? cæci esset, hoc non videre; alijs indicare, amentis. Adde quòd eo te ingenio præditum noui,* PRÆSES ILLVSTRISSIME, *vt laudanda facere, quàm laudari malis. Nec eorum est, qui mutas artes exercent, tantæ virtutis præconium aggredi.* VALE.

Tibi Addictissimus GEORGIVS QVESTIER.

QVÆSTIO MEDICA
MANE DISCVTIENDA DIE IOVIS IV. MAII
NOBILI VIRO M. ANDREA GAVDINO PROFESSORE REGIO ET DECANO MODERATORE.

An quibus minùs perſpirat corpus, ſint Robuſtiores ?

SEMINI, quo fiunt ſolidæ partes, & ſanguini materno, quo conſtant aluntúrque carnoſæ, tam multa, quibus conflictamur, inſunt ſæpè incommoda, vt ſi corporum, ita & morborum, principia cenſeri debeant: ex ijs enim innata eſt primordiorum diſcordia, quæ licet in permiſtionem paria venerint, mutuo tamen inter ſe certamine, ſenſim ſine ſenſu diſparia euadunt, & quam fecere ſanitatem euertunt, adeò incerta eſt & infida ex contrarijs origo. Eſt & ſemini inſitus calor, qui auidiùs ſuâ efficientiâ humidum abſumens natiuum, ſe ſe ita inconſultò perimit, vt qui author eſt vitæ, idem ſit & necis. Enimuerò cum ſemen genitale ab omnibus ſit corporis partibus deciduum, à ſanis quidèm ſanum, à morboſis morboſum, nemini durum videri debet, ſi fatui fatuos, calui caluos, & vt plurimùm diſtorti & manci diſtortos & mancos generent. Sanguis quoque maternus alterum generationis noſtræ principium, in quo aliquod ſempèr regnat elementum, dum nos alit, ſuis etiam vitijs nos imbuit, ea tamen leuiùs quàm ſemen in corpus inſerit, ſed ab vtroque proueniunt morbi, quos medicorum opprobria dicunt, quíque nullam temporis præſcriptionem admittunt.

HOC habent à primis qualitatibus corpora, vt alia ſint calida, alia frigida, humida, ſicca; denſitatem aut raritatem, mollitiem aut duritiem mutuantur à ſecundis: ſolus homo animalium omnium temperatiſſimus, ſi iuſtam illarum qualitatum ſit ſortitus συμμετρίαν, εὔκρατος; ſin ἀμετρίαν, δυσκρατος habetur. Sed cùm omni animantium generi communi lege ſit à natura tributum, vt caloris natiui beneficio viuant, qui licet in pluribus viuentibus ſit frigori impar, actionis tamen dicitur opifex, eum præſtantioris cuiuſdam ordinis quàm ignis elementaris eſſe perhibemus. Sed nec minùs ſtupenda videtur facultatis ipſius formatricis conditio, cui tanquàm ſapienti, partium organicarum conformatio, in figura, magnitudine, numero & ſitu conſiſtens, necnon liberorum ad parentes ſimilitudo, in ſpecie, ſexu & effigie, iure accepta referri debet; partes enim organicæ illis dotibus inſtructæ, non autem primarum qualitatum contemperatione proprias functiones immediatè exercent; haud alitèr quàm horologia varijs rotis & ſpirâ calybeâ ſuos exhibent motus, cùm fuerunt ad agendum diſpoſita, & inditum eſt ab artifice motionis principium: eſt itaque illa vel iudicio philoſophi nobilioris conditionis, quàm ſint elementa, atque à calido, frigido, humido, ſicco, res planè diuerſa, huiuſque proprium ſubiectum eſt calidum innatum ſeu humidum primigenium calore & ſpiritu perfuſum.

CORPORIS partibus à nemine edoctis hoc à natura inſitum eſt, vt propter aſſiduum innatæ noſtræ ſubſtantiæ fluorem, nouum ſempèr alimentum appetant, quo niſi reſarciantur, immatura mors occupat. Cum vero nullum ſit tam ſimile nobis alimentum quod aliquid diſſimile in ſe non contineat, multa profectò elaboratione eget: prima eius præparatio fit in ore, in vẽtriculo χύλωσις, in iecore proprio calore & innatâ proprietate αἱμάτωσις, in ſingulis tandẽ corporis particulis ex communi ipſis alimento fit ὁμοίωσις. Sua ſunt cuiuſque coctionis excrementa, viæque ipſis expurgandis accommodatæ; craſſas enim cibi reliquias craſſa inteſtina excipiunt & eijciunt, limoſam ſanguinis partem à reſiduâ humorum congerie lien attrahit, eâque attenuatâ nutritur, bilis partem tenuiorem cyſtis fellea ſecernit, eâque gaudet, craſſiorem iecur in tenuia inteſtina ſtatìm amandat excretioni fœcum aluinâ regione contentarum planè neceſſariam. Vnicum ſupereſt ſerum à materia potulenta exortum, tanquam familiare ſanguinis vehiculum, cuius licet maiorem partem renes attrahant, futuram vrinarum materiem in ſanis, minor tamen eiuſdem portio ſed tenuior, partìm in ſordes & ſudores, partìm in halituoſum excrementum à calore in vaporem reſolutum & in corporis habitum transfuſum, per cutis ſpiracula inſenſibilíter euacuatur.

ENIMVERO inſenſibilis huiuſce per poros tranſpirationis vt ſua ſunt commoda, ita & incommoda. Vbi enim illa mediocritatem tenuerit, corpus integrâ fruitur valetudine; ſin aliquatenùs imminui contingat, adeò vt excreta aſſumptis proportione non reſpondeant, in πολυαιμίᾳ & corpore boni habitus, cuius vapores ſunt ſuaues & blandi, morbi fiunt à plethorâ, ſin vitioſorum humorum copia ſit congeſta, & exhalationis acris & calidæ effluuium non ſit liberum, morbis à cacochymiâ oriundis ſeges fœcunda ſuggeritur. Quod ſi fuliginoſis hiſce excrementis prorſùs denegetur exitus, ſiue ob aërem ambientem frigidum, ſiue ob frigidæ occurſum, ſuffocandi repentè caloris naturalis periculum imminet. Si contrà cutis raritas modum exceſſerit, vt contingit æſtate, & ob partium carnoſarum in ſenibus nutritionis defectum, quin corporis robur diſſoluatur, & cauſis externis morbos creantibus magis pateat, qui negauerit puto neminem: inde vtrinque anguſtiæ; hinc enim rara mollique cute prædita corpora externis iniurijs redduntur obnoxia; illinc dura denſaque ab internis faciliùs offenduntur, illa quia plùs aufertur, ſalubriùs degunt, hæc quia minùs, morboſiùs; illa cum in morbum inciderunt, faciliùs ſaneſcunt, hæc quia rariùs prehenduntur, grauiùs periculoſiúſque ægrotant.

ERGONE ab habitu naturâ denſiori, an à rariori robur maius eſt expectandum? id vnicuique erit obuium, ſi conſtiterit, rarum id eſſe cuius partes à ſe inuicem diſtant, denſum contrà cuius partes ſunt propinquæ, quorum vtrumque partium ſitum tanquam genus agnoſcit; illud eſt prætereà perpetuæ veritatis & vt oraculum recipiendum, ſanitatis ſtudium eſſe non ſatiari cibis, & eſſe impigrum ad laborem, ab ijs enim & actionum integritas oritur, & cauſis externis ſtrenuè reſiſtitur, vnde prudentiores duritiem ab exercitatione contractam mollitiei, & denſitatem raritati prætulerunt: rarioris contrà texturæ homines, cùm ferè ſempèr gracilitatem habeant adiunctam, nullas exercitationes abſque moleſtia, nullos ſine ſummo virium detrimento labores perpeti poſſunt; denſi verò ſi fortè morbis fuerint impliciti, facilè caloris naturalis robore ſe ſe liberant adeóque tranſpirant, vt longè plura aſſumant coquantque alimenta, quàm rari; hi certè & ad bonum habitum comparandum, & ad conſeruandam ſanitatem, cum plura habeant commoda, meritò concludere licet cum Præceptore,

Quibus minus perſpirat corpus, eſſe Robuſtiores.

Proponebat GEORGIVS QVESTIER *Vallonienſis, in Scholis Medicorum Celeberrimæ Cadomenſis Academiæ pro prima Apollinari Laurea,* A. R. S. H. M. DC. LI.